DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ, ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

38

QUÆSTIO MEDICA MANE AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORUM CADOMENSIS ACADEMIÆ.

PRÆSIDE M. MATTHÆO MAHEULT DE VAUCOULEURS, REGIS CONSILIARIO, ORDINARIO MEDICO, ET PROFESSORE REGIO.

Num acida fluxum menstruum sistant?

ÆTATIS nostræ Anatomici diversas uteri plagas curiosiùs perscrutantes, quamplurimis tubulis membranaceis, in quibus sanguis ex arteriis capillaribus deponitur, & è quibus suo circulari motu in venas refluit, intextum uterum compererunt. Observarunt etiam tubulos illos exilissima habere oscula, in ipsiusmet uteri cavitatem hiantia, menstruorum tempore sanguinem foras effundentia, & ita valida, ut sit ante metuenda vasorum majusculorum ruptio, quàm ipsorum dilatatio.

EX his observationibus Anatomicis noscimus fluxûs uterini causam nec ex diversis Lunæ phasibus, nec ex humorum copiâ, plenitudine, decentiâ, fœminei sexûs imbecillitate, & similibus repeti posse, sed ex peculiari quadam effervescentiâ in illis uteri tubulis excitatâ, sanguinem sic attenuante & subtiliante, ut sanguis per valida illa tubulorum oscula aditum sibi patefaciat. Insitum est autem à naturâ fermentum in utero, quod salsiores & ad fermentescendum idoneas magis sanguinis particulas in tubulis membranaceis secernit, retinet, & conservat, non absimili prorsùs ratione, quàm oleum tartari rosarum spiritu semel imbutum, quot annis rosarum tempore diffusas undequaque per aëra rosarum Atomos vi fermenti decerpit, & in tantum exaltatur, ut suavem illum rosarum odorem, cum rosis ipsis partitum esse videatur.

QUIBUS particulis salinis cùm turgere incipiat uterus, fervorem statim æstumque concipit, dilatatur, rarescit, ipsius tubulorum oscula aperiuntur, sanguis ipse vi fermenti exaltatus per reseratos illos tubulorum meatus aditum quærit, vasa non modò in utero & circa uterum, sed & in cæteris corporis partibus distendit, si facilis ipsi non pateat aditus; si verò pateat, in ipsam uteri cavitatem effluit, & fermentum in utero congestum abluit eo penitus modo, quo aqua calida in cineres affusa sal contentū abstergit. Restituto deinde ad statum pristinum utero idem fermentum eandem materiam eâdem fere quantitate, eodem modo & tempore ex sanguine secernit, & ad similem exaltationem evehit, sicque novam efficit in utero fermentationem, novum sanguinis effluxum.

ABOLETUR nonnunquam uterinus ille fluxus acido in sanguine copiosiori; ea enim est acidorum natura ut sanguinem veluti lac fundant & coagulent, salinasque & ad fermentescendum idoneas sanguinis particulas quasi concatenatas detineant, ut videre est in iis, qui diabete laborant. Acida sanguinem coagulare patet tùm ex iis, qui nimio, & frequentiori acidorum usu asthmate laborantes moriuntur, in ipsorum enim sinistro cordis ventriculo sanguinis coagulum reperitur, quod circularem ipsius motum sistit tùm ex eo quod si in venis viventis cujusdam animalis fiat liquoris alicujus acidi transfusio, v. g. aquæ fortis, sanguis statim coaguletur, & mors brevi subsequatur.

SANGUINEM acidiorem facit inordinata victûs ratio, ac imprimis acidorum usus, mœror interdùm & tristitia diuturna, vigiliæ nimiæ, frigidus aër, &c. hinc succus pancreaticus acidior factus pungentes & lancinantes in hypochondrio sinistro dolores inducit, pulsus fit frequens & laboriosus, frigus nonnunquam per totum corpus sentitur. Depravatur etiam uterinus fluxus succi acidi in sanguine defectu, cùm enim acida salinas sanguinis particulas sese undequaque efferentes comprimant, ac proinde sanguinem in suâ crasi & consistentiâ naturali retineant, itaut sanguis nec tenuior, nec acrior evadat, ut patet in iis, qui pestis tempore utuntur acidis; deficientibus illis acidis, salinæ illæ sanguinis particulæ velut è catenis emissæ undequaque feruntur, sanguinem in motum rapiunt velociorem, ad uterum maximâ copiâ deferuntur, uterinum fermentum exaltantes continuam fere sanguinis effervescentiam in ipsis uteri tubulis excitant, continuum sanguinis profluvium. *Ergo acida sistunt fluxum menstruum.*

De his, favente Deo, & Beata Virgine, sedebit responsurus FRANCISCUS ANDRE', *Constantiensis, Artium Mag. & Medicinæ Baccal. die 7ª. Octobris.* 1675.

CADOMI, Apud JOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.